

Nr. 41.
(1)

6.
f.

HISTORIA ADAMI MVHAMMEDICA

COLLEGIT AC EDIDIT
IO. HENR. CALLENBERG
Ph. Prof. Publ. Ord.

Halæ in typographia instituti iudaici

CIC CI CIC XXXV.

1695

1695

*****:*****:*****:*****:

§. I.

Deus verbo ex puluere condidit Adamum, membraque eius omnia concinne fecit. Adami nomen ei initio inditum esse dubitant nonnulli, putantes, eum antea Muhammedis patrem fuisse appellatum. Sunt, qui affirmant, obtinuisse eum hoc nomen, quod ex terra rufa factus sit. Dei iussu hortum incoluit insignem; magnaque ei concessa fuit licentia utendi prouentu horti aduersus nuditatem, famem atque fitim. Itaque nulla erat corpori metuenda incommoditas in paratissima copia rerum. Attamen interdixit ipsi Deus unam arborem; ostendens, si ad eam accedat, ipsum fore impium & sceleratum. Hoc est fœdus, quod dominus cum Adamo pepigit.

§. II.

Idem aliquando angelos iussit nomina imponere animalibus. Illi vero se excusarunt, rati, ad hoc se non satis habere cognitionis. Dominus, cui id responsum valde displicuit, Adamum produxit, idemque ei dedit mandatum: quo ipse fine cunctatione perfunctus est, ac suum unicuique animali nomen imper-

concinne fecit. *Alcoran. III. 52. VII. 10.*

11. XCIV. 4.

*ex terra rufa. Hotting. in Hist. orient. 21.
copia rerum, Alcor. VII. 18. XX. 114.116,117.*

pertinuit. Quo facto, præcepit Deus angelis, ut Adamum adorent: qui hoc faciunt. Primusque ad eius pedes prouolutus est Seraphiel: cui Deus, obsequii remunerandi causa, tabulas, quas custoditas vocant, commisit.

§. III.

Sed unus ex illis fuit, Iblisus dictus, qui noluit tam humiliter colere hominem; dictans, se ex præstantiore materia creatum. Ille triplici respectu euasit infidelis: primo, quod deprimere voluit prophetam, Adamum; enim qui sic imminuere conatur gloriam prophetæ, is infidelis est; secundo, quod Deum, creatorem, tacite tyrannidis & insipientiæ accusauit; tertio, quod adversatus est consensui angelorum, Adamum adorantium: quisquis autem consensui se opponit, is infidelis est. Diem, quo Adamum ita venerati sunt angeli, Deus festum ab homine haberi voluit. Erat vero is dies sextus hebdomadis, proxime antecedens iudæorum sabbatum.

§. IV.

Cacodæmon igitur homini inuidit hono-

) (2 rem,

Seraphiel. *Abulkasimus apud Reland, de relig.
muhamm. 194.*

Iblisus dictus. *Quidam dici: Iblisum coluisse
Deum octoginta millia annorum; et postea
euassisse infidelem.
festum haberi voluit. Kessæus apud Relan-
dum l.c. p. 191.*

rem, quo Deus eum erat prosequutus: studuitque ipsum deprimere. Nec celauit consilium, fassus Deo: se non solum Adamum, sed plerosque etiam ex posteris eius, si usque ad mortuorum resurrectionem sibi concedatur mora, in suam redacturum esse potestatem. Permisit id ei Deus, addita hortatione, ut capiat, quotquot possit, fraude, illecebris, vi; ineat cum ipsis societatem, promissis opibus & liberis: sed sciat, sibi ac se sequutis promercede orcum fore. Quantum vero attinet ad servos suos, in hos se ipsis nihil permittere. Adamo Deus significat, hostem ipsi & uxori eius esse cacodæmonem; proinde caveat, ne ipsis eliceat ex horto, & in summam præcipitet calamitatem.

§. V.

Quod prædixerat Deus, euenit. Insulsauit enim cacodæmon aliquid in aures utriusque, quo manifeste illis, quæ latebant, pudenda, dicens: Adame, ostendamne tibi arborem, quæ adfert æternitatem & regnum perenne? Nulla alia est cauſa, quam obrem Deus vobis haec arborem prohibuit, quam ea, ne fatis angeli, & æterni. Iurauit insuper, asseuerans: se sincerum monitorem esse. Tum detraxit ilis vestes, ut pudenda ipsis monstraret. Tentati obliuiscuntur fæderis dominici, nec tenent bonum propositum. Decepti aberrarunt, reiecto Dei mandato, impii in eum & rebeles. Hoc animo ex prohibi-

hibita arbore ederunt. Extemplo apparuerunt ipsis pudenda, quæ lectis consutisque foliis tegere student.

§. VI.

Deus vero ipsos compellat, cur id fecerint; cum prædixerit, insidiari ipsis cacodæmonem. Isti, supplices facti, culpam tentur, & per misericordiam eius orant, ut sibi ignoscatur. At Deus nihilominus pergit denunciare pœnam, exilium, inimicitias, mortem. Commouebatur tamen misericordia & placatus dicebat: venturum suo missu aliquid, quo poterint dirigi in rectam viam: hac incedentes neque in errore, neque in miseria, versaturos; cæteros, qui illam negligant, infelices olim fore. Verum id impetrare non poterant, ut licuisset amplius in horto amœno manere; sed migrare coacti sunt, quod parere numinis mandato noluerant. Est lapis in templo meccano, quem nigrum vocant, coluntque maximopere. Is, ab Adamo ablatus ex paradiso, cum primum albus fuisset, temporis successu, propter hominum peccata, superficie niger evasit. Cripten illud, quod Adamus admisit, eius liberis quoque & toti generi humano, quod duxit ab ipso originem, tributum a Deo est.

¶ 3

§. VII.

tributum a Deo est. Schahaboddinus Abu-Jabrus Achemedes apud Relandum de religione musulmanorum.

§. VII.

Postea Deus Adamum constituit prophetam ordinis excellentioris, qui constat legatione & præceptione nouorum institutorum. Hoc etiam singulare ipsi decus conciliavit, ut inter prophetas fuerit primus. Sicut cæteros prophetas, ita Adamum quoque, ab erroribus ac magnis peccatis immunem esse oportebat. Ut haberet, quo fidem sibi conciliaret, tradidit ei Deus e cœlo decem libros, qui primi sunt inter centum & quatuor, quos prophetis a Deo donatos opinantur. Alius uno & viginti libris ipsum instructum esse perhibet. Continebant libri illi, quos Adamus accepit, tam leges, quam vaticinia. Inerat ram in Adamo, prophetæ, lux quædam diuina; quam Deus conseruauit inter homines, ut hi illa dirigerentur. Ab Adamo, postquam is ex hac vita excessisset, venit lux ad Abrahamum.

§. VIII.

Quemadmodum vero cæteri prophetæ,
ita

muhamm. 191. 195. Alcoran. XVII.

64-67. XX. 114. 115. 118. 119. 120-123.

VII. 19. 20. 21-24. 26. 172. Pocok. spe-
cim. hist. Arab. 118. sqq.

constituit prophetam. Sunt etiam inter chri-
stianos, qui prophetæ nomine Adamum in-
signiunt. Epiphanius aduersus hereses
p. 6.

ita Adamus quoque, sequutus est moslemorum religionem, licet instituta eius ab hac paullum recelerint. Paradiso expulsus, a Deo petiit, ut sibi licitum sit, ædem sacram secundum cœlestis ædis, a se conspectæ, similitudinem, exstruere: se eo oculos inter precandum versurum, illamque sub cultu numinis circumitum, quemadmodum cœlestem ambeant. Exaudiuit Deus preces, & demisit e cœlo lucida quædam aulæa, quæ domus speciem habebant.

§. IX.

Tres Euæ fuerunt filii, Abdolharethus, Habelus, & Kabelus. Cum illa primo ferret uterum, accessit cacodæmon, viri forma assumta, atque dixit: num quis indicauit tibi, quid in ventre tuo gestes? fortassis bestia est, aut canis? num quis tibi manifestauit, unde fœtus tuus proditus sit? Eua, hoc nuncio valde perculsa, quid sibi obtigerit, Adamo patefecit. Timor utriusque austus est. Postea reuersus cacodæmon: ego ait, a Deo missus, eius personam gero. Deum vero rogaui, ut similem tibi faciat fœtum, facilemque ei largiatur exitum. Tu vero appella eum Abdolharethum. Nomen enim hoc eius erat inter dæmones. Consensit Eua, filioque,

re-

Tres Euæ. Hotting. hist. orient. 20. 22.

23.24.

recens nato, nomen Abdolharethi imposuit.
Sed hæc haec tenus: pudet longius pergere
in proferendis fabulis propudiofis, maximam
partem in cerebro gentis iudaicæ
ortis.

Abdolharethi imposuit. Generatim cum
his fabulis conser Cotelerii patres apostol.
Vol. I. 638.

in proferendis fabulis. Plures prolatas vide-
sis in Reland. de relig. muhamm. 20. 31.
36. 40. 81. in Hottingeri hist. orient. 22.
in Maracci prodromo Alcor. 80. in Poco-
kii spec. hist. Arab. 53. 115.



Bd 12/6.

8 8

Ch 6



6 f.

HISTORIA ADAMI MVHAMMEDICA

COLLEGIT AC EDIDIT
IO. HENR. CALLENBERG
Ph. Prof. Publ. Ord.

Halæ in typographia instituti iudaici
CC CI CI CI CI CI XXXV.